



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 34. De Simonis Cyren. baiulatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

peccato ingressi, in peccato viuimus, cogitan-
dum est, non posse nos sine flagellis & mole-
stijs vitam peragere?

6. Nolebat Dominus se fieri à mulieribus,
sed populum à quo ducebatur ad mortem, vt
ostenderet, non tam de illius passione dolen-
dum, quàm flendum & plangendum de pecca-
tis nostris, quæ mortis illi fuerunt causa.

7. Monebat Christus mulieres sui amantes,
ruinas flere populo illi imminentes, indicans
amatores Christi dolorem debere concipere
ex proximorum seu temporalibus seu spiri-
tualibus damnis.



MEDITATIO XXXIV.
SIMON CHRISTVM IN

PORTANDA CRUCE ADIUVAT.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *In via apprehenderunt quidem Simo- Mas. 27*
nem Cyrenensem, venientem de Villa. Mar. 15.

II. *Hunc angariauerunt, vt tolleret Luc. 23.*
crucem eius.

III. *Et imposuerunt ei crucem portare*
post IESVM.

PROPHETIA.

EGO quasi agnus mansuetus, qui porta- Iere. II.
tur ad victimam.

DOCUMENTA.

I. **C**RUCEM coacti & sine fructu cum
Cyrenæo portant, quos non amor, sed
timor

scen-
iscal-
utem

vni-
dole-

xi, re-
ut la-
entur
d cru-

tius, si
nes in
iosiq;
usauit

ntibus
nemo-
usant.
leinde
n.

de, in-
usti &
rerum
iātum
s?

ccato,
i cum
eccato

tīmor cogit bene agere: religiosi item, qñi Superiorum mandata exsequuntur inuiti.

2. In portanda cruce, id est, seruitio Christi laborandum est, quantum possumus: sperandumq; fore, vt deficientibus Deus submittat auxilia, vt Christum adiuuit Cyrenæus.

3. Si quando lassitudo & quasi tadium accidat nobis in obsequio Dei, recordemur laboris & lassitudinis Christi in portanda pro nobis cruce ad montem Caluarix.

4. Crucem Christi accipiunt, qui sicut Cyrenæus, veniunt de villa, id est, qui mundum, eiusque actiones deserunt, & Hierosolymam proficiscuntur, ambulantes ad patriam caelestem.

5. Prius crucem portauit Christus ipse, quā Cyrenæo daret: sic qui alijs prælunt; seu potestate seu doctrina, primum ipsi crucem gestare debent, nempe vt prius discant subesse, & perturbationibus repugnare: deinde eandem dare ferendam subditis.

6. Crux Christi non ad exemplum Simonis huius, sed ad præscriptum illud ipsius Christi ferenda est: *Qui vult venire post me, tollat*

Mat. 16 *crucem suam quotidie, & sequatur me.* Pri-

Mar. 8. mo vltro & libenter, non coacte suscipienda:

Luc. 9. dicit enim: *Qui vult.* Deinde sua cuique ferenda est, non aliorum: quod indicant illa, *Crucem suam.* Tertio addit: *& sequatur me;* quia ad Dei gloriam, non ad laudem humanam referri debet. Denique continuo & vsque ad finem vitæ perferenda est, additur enim. *Quotidie.*